

Glossa ordinaria & communi opinione in cap. fin. de Postulando: textus in cap. Coram, de Offic. delegat. Item etiam, quia per ingresum religionis monachus non amittit jura sanguinis & proximitatis; argumento text. & ibi communiter notant DD. in cap. In presentia, de Probat. text. in leg. fin. Cod. de Episc. & Cler. text. in leg. Jura sanguinis, ff. de Regulis juris.

Item etiam quia causa pia habet plura privilegia, de quibus late per DD. in Authent. similiter, Cod. Ad legem Falcid. & in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & in cap. Relatum, de Testament. & in leg. Sunt persona, ff. de Religios. est sumpti funer. Sed, his non obstantibus, contrarium teneo, imò, quòd in monasterium non transeat jus retrahendi ex persona monachi: quia in monasterium non transit jus personalissimum consanguinitatis, in quo specialiter se fundant prædictæ nostræ leges & earum ratio: Item, quia monachus tunc non retraheret per se & ad ejus commodum, sed pro alio, id est, pro monasterio; quod proximior facere non potest, ut patet ex prædictis legibus. Item etiam, quia monasterium est quedam universitas & res inanimata, in quo non datur nec consideratur jus sanguinis, & perpetuatio vel conservatio familiæ; argumento text. juncta communi opinione in Authent. Ingressi de Sacrosanct. Eccles. & in cap. In presentia, de Probat. & tenet eleganter Innocent. in cap. Gravem de Sentent. excomm. & Bald. in Authent. Habita, Cod. Ne filius pro patre, column. 10. num. 41. Ergo nullo modo possit retrahere; quia apertè cessant prædictæ leges, & earum ratio.

10 Item quæro: Utrum monasterio vendente rem ingressi quæ est de patrimonio, proximior consanguineus ingressi possit eam retrahere? Et videtur quòd sic; quia concurrunt ea quæ sunt necessaria ad retractum; quia res est de patrimonio, item retrahens est proximior. (9) Sed contrarium teneo, imò, quòd isto casu non habeat locum retractus; quia res non dicitur jam patrimonialis, nec vendita per consanguineum, sed per monasterium, in quo non datur jus sanguinis, ut supra proximè dixi: Item etiam, quia hoc casu est medium inhabile, quia persona ingressi censetur res donasse monasterio, & dominium earum in eum transferre: ut in Authent. Ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles. & in illa alia alienatione non potest habere locum retractus; nec etiam monasterio alienante potest habere locum, cum censetur extranea persona vendere.

Item quæro: Si proximior consanguineus est hæres venditoris fortè decedentis intra tempus

retractus, an possit retrahere? Et videtur quòd non; quia hæres non potest venire contra factum defuncti, & improbare ejus contractum, etiam si defunctus res proprias ipsius hæredis alienaverit: textus est in leg. Cum à matre, Cod. de Rei vendic. & ibi Glossa ordinaria & communis opinio, text. in leg. Si uxor, Cod. de Bonis autoritat. jud. possid. text. in leg. Si ab eo, Cod. de Neg. gesti. text. in leg. Si ab eo, Cod. de liber. caus. text. in leg. 2. Cod. de Fruct. & litium expen. text. in leg. Solutum, §. Solutum, ff. de Pign. act. text. in leg. Cum hæres, ff. de Divers. & tempor. præscript. text. in leg. 1. & per totum, Cod. de Hæred. action. text. in leg. final. §. In computatione, Cod. de Jure deliber. text. in leg. Ex qua persona, ff. de Reg. juris. Item etiam, quia quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio: text. est in leg. Vendicantem, ff. de Eviction. text. in leg. Post mortem, ff. de Adoption. text. in leg. Si quis alienam, ff. de Action. empt. text. in leg. Cum vir, ff. de Usucap. text. in leg. In rem alienam, ff. de Pign. action. text. in leg. 1. Cod. de Reb. alien. non alienan. ergo cum hæres teneatur de evictione, non possit retrahere. Sed contrarium videtur verius & tenendum, imò, quòd possit talis hæres retrahere, cum sit proximior consanguineus, & in eo verificentur verba prædictarum legum & earum ratio. Item etiam, quia retrahendo non venit contra factum defuncti alienationem ejus improbandò, imò approbat & confirmat, & tantum petit se loco primi emptoris subrogari. Item etiam, quia hoc casu non potest teneri de evictione, cum res non evincatur ab emptore ex defectu & vitio rei, vel ex defectu juris venditoris, sed tantum de jure, & privilegio speciali proximitatis; quo casu cessat evictio, ut tenet Glossa singularis in leg. Minor viginti quinque annis, ff. de Eviction. in Gloss. fin. quam ibi ad hoc notant & commendant communiter DD. præcipuè Salicet. pro qua facit bonus textus in leg. Si quis domum, §. pen. ff. Locati, quem ad hoc notat & commendat Bald. in leg. Si familia, Cod. Familia ercis. column. 2. num. 7.

11 Item quæro: Utrum condemnatus ad mortem naturalem, vel civilem deportationis, & in metallum, vel hodiè ad Galeras, possit retrahere? Et resolutivè teneo, quòd si à sententia est appellatum, potest retrahere pendente appellatione: argumento textus in leg. Qui à latronibus, §. final. ff. de Testament. text. in leg. Si quis filio exheredato, §. Id quoque, ff. de Injusto rupto, & idem est si non est appellatum, sed erat intra tempus datum ad appellandum; argumento Gloss.

(9) Vide Tiraquell. de Retractu lignagier, gloss. §. num. 19.

quæ est singularis & unica in leg. Ex Judiciorum, ff. de Accusation. quam ibi reputant singularem & unicam Bartol. Angel. & alii DD. post Din. probat etiam Gloss. quæ non allegatur, in leg. Generaliter, Cod. de Rebus cred. pro quibus facit textus in leg. final. Cod. Si reus, vel accusat. mor. fuer. text. in cap. Non solum de appellat. text. in leg. Post rem judicatam, ff. de Transaction. Item etiam, si non appellavit, sed non est damnatus ad mortem naturalem, sed tantum civilem, indistinctè potest retrahere; quia hodiè non efficitur servus pœnæ, ut in Authent. Sed hodiè, Cod. de Donat. inter vir. & uxor. si verò sit condemnatus ad mortem naturalem, & non appellavit, nec sit intra tempus datum ad appellandum, nullo modo poterit retrahere; quia efficitur servus pœnæ, inhabilis & incapax cujuslibet contractus & acquisitionis, ut in dict. Authent. Sed hodiè, & ibi communiter notant DD.

12 Item quæro: An judex, qui non potest contrahere vel quasi contrahere in loco & territorio suæ jurisdictionis, ut in leg. Licet, ff. de Contrahend. emption. & in leg. unica, Cod. de contract. judic. possit retrahere rem sui patrimonii vel generis durante officio suo? Et breviter teneo quòd sic; quia principaliter ipse non contraxit, sed tantum subrogatur loco emptoris: Item, quia cessat ratio timoris & impressionis, quam judex durante officio præsumitur facere inter subditos; cum principaliter alius emit, & ipse retrahit ab eo pro eodem prætio taxato & determinato sine nova conventionione, pacto, vel contractu, idem pretium venditori offerendo legis permissione: & in terminis ita probat textus in leg. Si quis officium, ff. de Ritu nuptiar. & in leg. In emptione, ff. de Minoribus.

13 Item quæro: Si quis vendat remotiori consanguineo, an proximior possit ab eo retrahere? Et breviter teneo quòd sic; quia in eo reperuntur potiora jura: Item, quia non potuit venditor nec alter privatus jus sibi competens per prædictas leges regias sibi auferre: & in terminis tenet Glossa ordinaria in dict. leg. Fori, & tenet Faber in §. 2. Instit. de Hæred. qua ab intestat. d. ser. probat etiam text. juncta communi opinione, in leg. Hac consultissima, §. Si quis autem, Cod. de Testam. Ex quo inferitur, quòd si quis vendidit consanguineo existenti in eodem æquali gradu, possit retrahere pro parte; & ita dixi in quæstione de facto.

14 Item quæro: An consanguineus, qui potest rem patrimonii vel generis retrahere, possit requiri à contrahentibus, ut declaret an velit vel nolit retrahere? Et teneo quòd non tenetur respondere, nec voluntatem declarare; cum habeat tempus legale novem dierum, quod non potest

Anton. Gom. ad Leg. Taur.

sibi à judice vel parte coarctari: Bene tamen dico, quòd si respondeat & declaret quòd non vult retrahere, non poterit postea variare, nec intra prædictos novem dies retrahere, ita probat textus in leg. fin. Cod. de Jure emphyt. & ibi DD. præcipuè Jas. num. 14. & num. 24. & colligitur satis apertè ex verbis Bartol. in leg. Qui Romæ, §. Cohæredes, ff. de Verbor. oblig.

15 Item quæro: Si plures res patrimonii vel generis simul uno & eodem tempore vendantur, qualiter habeat locum retractus? Et resolutivè dico, quòd si vendantur uno eodemque pretio, omnes debent retrahi, aut omnes dimitti; si verò pluribus pretiis, & sic quælibet res pro suo pretio, tunc consanguineus potest retrahere unam & dimittere aliam: ita disponit propriè casus in leg. 71. infra his legib. Tauri, juxta quod necessariò quæro; si vendatur una res quæ sit patrimonii vel generis, & alia quæ non sit patrimonii vel generis uno eodemque pretio; an habeat locum retractus, & qualiter? Et videtur quòd nulla debeat retrahi; quia talis contractus est individuus, & pro parte non potest dissolvi, argumento textus in leg. Scire debemus, ff. de Verbor. obligat. nisi constaret, quòd dolo & fraude sic fuisset facta alienatio. Sed, his non obstantibus, ego teneo contrarium, imò, quòd generaliter sola res patrimonii vel generis possit retrahi, etiamsi uno eodemque pretio fuit vendita cum alia re extranea, etiam dolo aliquo non probato; & tunc pretium æstimabitur arbitrio boni viri, argumento textus in leg. Domum, ff. de Contrah. empt. text. qui reputatur singularis & unicus in suo casu secundam DD. in leg. Si fundum, ff. de Legat. 2. text. in leg. Si quod ex Pamphila, ff. de Legat. 2. text. in leg. Qui solitum, §. 1. eod. tit. text. in leg. Si plura mancipia, ff. de Adilitio edicto, text. in leg. Adiles ajunt, §. final. eod. tit. text. in leg. Non quocumque, §. Fundus, ff. de Legatis 1. text. in §. Si fundus, Instit. de Legat. text. in leg. Sua rei, in fine, cum leg. sequenti, ff. de Contrah. empt. text. in leg. Duobus, ff. de Liber. caus. text. in leg. Judicata, ff. de Except. rei judic. text. in leg. Falcidia interveniente, ff. ad legem Falcid. text. in leg. Cum filius, ff. de Legat. 2.

Item quæro: Si quis vendat rem patrimonii vel generis pro certo pretio, & etiam pro alia re mobili vel immobili, an iste contractus judicetur emptionis & venditionis, ut habeat locum retractus; vel judicetur permutacionis, ut non habeat locum retractus? In quo dico, quòd si pretium sit majus quàm res quæ junctim cum eo datur, erit contractus venditionis; aliàs, si res quæ simul datur sit majoris valoris quàm pretium, erit permutatio: ita singulariter probat textus in leg. Arist. ff. de Donat. & ibi expressè

Kkk 3

te-



tenet Bart. Paul. & communiter DD. tenet etiam Ang. de Aretin. in §. Pretium Instit. de Empt. & vendit.

16 Item quæro: Si quis vendat rem patrimonii vel generis, & proximior consanguineus vult eam retrahere infra novem dies secundum dispositionem prædictarum leges Regni, an illi novem dies incipiant currere à tempore contractus, an verò à tempore traditionis? Et videtur quòd à tempore contractus: Primò, quia prædictæ leges expressè dicunt, quòd si quis vendat rem patrimonii vel generis, proximior consanguineus possit eam retrahere infra novem dies: sed talis contractus venditionis dicitur perfectus solo consensu ante aliquam traditionem, ut in leg. 1. & per tot. ff. de Contrah. empt. in leg. 1. & per tot. Cod. eod. tit. & in §. 1. Inst. de Empt. & vendit. cujus verba sunt: *Emptio & venditio contrahitur simul atque de pretio conventum sit.* Ergo &c. (r) Confirmatur; quia lex fori, à qua omnes aliæ procedunt in ista materia, dicit & disponit, quòd proximior admittatur si venerit infra novem dies postquam res sit vendita. Confirmatur etiam; quia lex ordinamenti expressè dicit, quòd in materia retractus servetur prædicta lex fori. Rursus confirmatur per nostram legem 70. quæ expressè dicit, quòd habeat locum retractus etiam in re vendita in publica subhastatione, & novem dies currant à tempore del remate; quia ibi venditio & alienatio respicit finem, & sic vult quòd non requiratur traditio: Ergo idem dicamus in venditione ex consensu partium; ut illi novem dies currant à tempore contractus perfecti & consummati, & non à tempore traditionis. Secundò & principaliter facit textus in leg. *Quidam testamento*, ff. de Fideicom. liber. ubi disponitur, quòd si testator prohibuit hæredem servos suos vendere sub certa pœna; si hæres eos vendiderit, statim incidet in pœnam ante traditionem. Tertio facit textus in leg. *Sciendum*, la 1. §. *Tempus*, ff. de Adilitio edict. ubi tempus in actione redhibitoria, & quanto minoris, currit à die contractus venditionis: & ibi tenet Glossa ordinaria, & communiter DD. Glossa etiam ordinaria, & communiter DD. in leg. 2. Cod. de Adilit. act. tenet etiam Rosfred. in *Libellis suis*, in Rubric. de *Actione quanto minoris*, col. 4. & idem disponit leg. 65. tit. 5. partit. 5. Quartò reperio quòd in terminis in simili statuto istam sententiam & con-

(r) Ita etiam visum fuit Cifuentes in leg. 70. 26. Dubitatione & in versic. eadem lex. & ibi. *Secundò dubitabis.* Tiraquell. de *Retract. lignagier*, §. 1. gloss. 10. num. 3. & Covarrub. lib. 3. *Variarum resolut.* cap. 11. num. 2. cum aliis quos congerit Matienz. in leg. 7. tit. 11. lib. 5. *Recop. gloss.* 6. num. 10. & Azeved. *ibid.* num. 6. qui fundamenta hujus opinionis latius referunt, in praxi servandam testatur.

clusionem tenet Signo, de Homo. in *Consiliis suis*, consil. 81. col. 2. num. 6. tenet etiam Glossa ordinaria, in dict. leg. Fori, in *Gloss. magna*, col. 6. versic. *Item quæro à quo tempore*, tenet etiam Cifuent. in *nostra leg.* 70. *his leges Tauri*, penult. col. versic. *Secundò dubitatur*, & dicit quòd ita practicatur: & ita ego vidi praticari in contingentia facti, & vidi etiam teneri à majori parte Doctorum nostræ Universitatis in quodam examine.

Sed, his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam & conclusionem, imò, quòd prædictum tempus novem dierum non currat à tempore contractus, sed à tempore traditionis ipsius rei: Primò, quia ratio prædictarum leges est, ne res exeat de genere vel familia, sed in ea conservetur, ut supra conclusum est: sed ante traditionem res non dicitur alienata, nec exire de genere, ut in leg. *Alienatum*, ff. de Verborum signific. cujus verba sunt: *Alienatum non proprie dicitur, quòd adhuc in dominio venditoris manet, venditum rectè dicitur.* Confirmatur etiam; quia ab illo tempore traditionis transit dominium, & non à tempore contractus, ut in leg. *Traditionibus*, Cod. de Pactis, & in leg. *Traditio*, ff. de Acquir. rer. domin. & in §. *Per traditionem*, Inst. de Rerum divis. Ergo ab illo tempore currant prædicti dies. Secundò & principaliter facit; quia quando in contractu emptionis & venditionis, vel simili contractu apponitur tempus solutionis, semper currit à tempore traditionis & ultimæ perfectionis, & non à tempore contractus: ita probat textus singularis in leg. *Talis facta stipulatione*, ff. de Jure dotium, ubi habetur quòd quando in contractu matrimonii promittitur dos certo tempore solvenda, illud tempus incipit currere à tempore nuptiarum & traductionis uxoris, non verò ante: & ad hoc notant & commendat ibi Odofred. Bald. Fulgos. Salicet. Jacob. de Sanct. Georg. & ad hoc etiam notat & commendat Bart. in leg. *Si cui legetur*, & fin. col. & quæst. ff. de Legat. 1. & ibi Bald. col. 2. appos. 3. Alexand. col. 2. num. 9. Jas. penult. col. num. 11. Paul. de Castr. in §. 1. ejusdem leg. & ibi Imol. alii DD. Bald. in Rubr. Cod. de *Contrah. empt. fin. col. quæst.* 23. Salic. in leg. 2. fin. quæst. ejusd. tit. & illum textum ad hoc dicit singularem in jure Angel. de Aretin. in §. *Actionum*, Instit. de Action. col. 4. num. 7. pro quo tex-

textu est hodiè lex 12. tit. 11. part. 4. Tertio facit; quia emphyteuta vel possessor majoratus, vel prohibitus vendere & alienare, non incidit in pœnam per contractum venditionis & alienationis nisi secuta postea traditione; ut aliàs suo loco dixi. Quartò, quia si tempus curreret à tempore contractus & non traditionis, non posset faciliter venire in notitiam consanguinei qui deberet retrahere, & sic faciliter dolosè & secretè fieret contractus solo verbo, ignorante consanguineo, & sic excluderetur à contractu. Nec obstat, quòd per prædictas leges nostras hujus Regni non requiritur scientia in retrahente: Quia verum est postquam res venditur & traditur; quia tunc verisimiliter potuit venire in ejus notitiam: secus verò quando solo verbo, & consensu fit venditio; quia talis actus faciliter potest fieri ut non perveniat in notitiam proximioris consanguinei; quòd nostræ leges videntur repugnare. Et in terminis reperio quòd istam sententiam & conclusionem in simili lege, statuto, vel consuetudine tenet Joan. Faber in §. 1. Instit. de Empt. & vendit. Glossa ordinaria in dict. leg. For. *Gloss. magna*, col. 5. licet postea mutet propositum & teneat contrarium in col. 6. hanc etiam sententiam & conclusionem tenet eleganter Alberic. in leg. *Si filius fam.* §. *Cum fundum*. col. 1. in fin. ff. de Verb. oblig. & istam semper ego tenerem in iudicando & consulendo.

Nec obstant fundamenta contraria: Quia ad primum respondeo, quòd licet nostræ leges tantum loquantur de venditione, tamen debent intelligi cum effectu consummato traditionis: Nec obstat etiam leg. *nostra subtilis* 70. *his leges Tauri*, quæ expressè determinat, quòd prædicti novem dies currant à tempore del remate: Quia ratio vera & propria potest esse: quia talis venditio fit publicè, & faciliter & verisimiliter potest venire in notitiam proximioris consanguinei; unde meritò in illo casu non consideratur nec requiritur traditio: & potius nostra lex probat meam opinionem in casu quo venditio fiat ab ipsa parte. Secundò non obstat textus in leg. *Quidam testamento*, ff. de Fideicom. liber. Quia speciale est in libertate; & probat contrarium esse in aliis casibus: quòd patet ex illa leg. in quantum dicit, quòd illam pœnam incurrat hæres nedum si vendat & alienet, sed etiam si tentaverit vel præparaverit vendere. Tertio non obstat textus in dict. leg. *Sciendum*, §. *Tempus*, ff. de Adilitio edict. Quia respondeo, quòd ibi non datur redhibitio propter alienationem, sed propter morbum rei venditæ: unde post lapsum sex mensium à tempore scientiæ excluditur ab illo remedio actionis redhibitorie; unde meritò currit à tempore contractus: Secus tamen est in nostro casu, ubi

retractus conceditur propter alienationem, ne res exeat de familia; quæ alienatio non dicitur perfecta & consummata ante traditionem.

Item quæro: Dato & præsupposito quòd prædictum tempus novem dierum currat à tempore traditionis, an requiratur traditio vera & actualis, vel sufficiat traditio ficta, putà per clausulam constituti, vel aliam similem clausulam vel actum fictum traditionis, ut ab illo tempore currant prædicti novem dies? Et videtur quòd sufficiat prædicta traditio ficta; quia tantum operatur ipsa traditio ficta sicut vera, & eosdem producit effectus: textus est in leg. *Quod meo*, ff. de Acquir. possess. text. in leg. *Certe versic.* 1. ff. de Precario, ibi: *Ego præcaro habere dicor*, ubi expressè probat, quòd traditio vel possessio quæ resultat ex actu ficto, dicitur propria & vera, sicut illa quæ resultat ex actu verò: quem ad hoc notat & commendat Bart. in leg. *Si is qui pro emptore*, fin. quæst. ff. de Usucap. & reputat singularem & unicum Bald. in leg. una, §. *Ne autem*, Cod. de Caduc. tollen. fin. col. num. 19. Jason. in §. 1. Inst. de Action. fin. col. in medio. Sed adhuc etiam isto casu teneo contrarium, imò, quòd prædictum tempus novem dierum currat à tempore veræ, naturalis, & perfectæ traditionis, & non sufficiat ficta traditio: quia verba legis regulariter debent intelligi naturaliter, & non per fictionem, argumento textus in leg. *Qui liberis*, ff. de Vulgar, & pupil. text. in leg. *Filio quem pater*, ff. de Liber. & posth. text. in leg. fin. ff. de Condition. & demonstr. text. in leg. fin. Cod. de *His qui veniam atar. impetr.* text. singularis & unicus in leg. *Qui habet*, ff. de Tutel. quem notat & commendat Bald. & communiter DD. & reputat singularem & unicum Alberic. Quòd maxime procedit quando dispositio legis, statuti, vel consuetudinis est odiosa, vel exorbitans, vel correctoria juris communis: textus est bene notandus in leg. 3. §. *Hæc verba*, el 2. ff. de Negot. gest. quem ad hoc notat & commendat Bartol. in leg. *Omnes populi*, ff. de Just. & jure, antepen. col. num. 62. Aretin. melius quàm alibi, in leg. *Galus*, §. *Quid si is*, ff. de Liberis, & posth. Confirmatur etiam, quia talis actus fictus posset fieri in secreto solo verbo, sicut ipsemet contractus, & non venire in notitiam proximioris consanguinei: unde meritò requiritur traditio vera & actualis.

Item quæro: Si quis vendidit rem sui patrimonii vel generis cum pacto appposito, ut possit illam redimere & sibi habere pretio oblato infra certum tempus, & rex vendita fuit realiter & perfectè tradita, & proximior consanguineus infra novem dies vult retrahere pro eodem pretio secundum formam & dispositionem prædictarum ll. & infra eosdem novem dies concurrat ipse ven-



venditor primus dominus, & velit pretium offerre, & uti prædicto suo pacto & conventiones; quis eorum præferatur? Certè est nova & subtilis investigatio: & reperio quòd Joan. Faber in §. 1. *Instit. de Empt. & vendit. in fin.* tenet contrarium, imò, quòd præferatur proximior consanguineus; quia jam per talem contractum & traditionem rei fuit jus quæsitum proximiori consanguineo: & alibi non legi. Sed, salva ejus pace, ego teneo contrarium, imò, quòd præferatur ipse venditor virtute pacti: Primò, quia prius fuit sibi jus redimendi & retrahendi quæsitum: Secundò, quia ipse venditor cum hac conditione & modo visus est vendere, & emptor emere, ut possit venditor pro eodem pretio oblato redimere & retrahere, & emptor sub eadem conditione & modo accipere: Item etiam, quia jura nostra quæ inducunt retractum, videntur illum concedere sine damno & præjudicio facti, & conventionis appositæ inter ipsas partes primò contrahentes.

Majus tamen dubium est: Si proximior consanguineus jam retraxit rem ab ipso emptore infra prædictos novem dies an postea primus dominus & venditor, qui vendidit cum prædicto pacto & conditione de retrovendendo, & quòd oblato pretio debeat res ei restitui, sit audiendus pretium offerendo, & possit redimere rem ab ipso novo possessore consanguineo, vel ab ipso emptore à quo res fuit retracta? Et videtur quòd nullus eorum teneatur, nec possit agere contra aliquem eorum: nam contra emptorem non videtur posse agere; quia actio vel obligatio personalis ex pacto de retrovendendo posito inter venditorem & emptorem non sequitur fundi possessorem: textus in leg. 1. §. *Si heredes, ff. ad Trebellian.* ibi: *Nec enim hæredis alieni personalis actio fundum sequitur*: text. in leg. *Quadam, §. Is autem, ff. de Dote prælegata*: text. in leg. *Non adversus, Cod. Si cert. petat.* Item etiam contra emptorem à quo res fuit retracta non potest venditor virtute pacti & conventionis de retrovendendo agere; quia ipse factò & contractu proprio non desinit habere prædictam rem, nec fuit privatus ea, sed factò & beneficio speciali legis: Ergo non teneatur; argumento textus singularis in jure in leg. *Minor viginti quinque annis, ff. de Evictione.* Sed adhuc his non obstantibus, teneo quòd possit agere prædictus venditor contra prædictum proximior consanguineum novum possessorem; quia virtute prædictorum jurium concedentium retractum visus est emptor, à quo

prædicta res fuit retracta, tradere tacitè sub eodem pacto & conditione, ut teneatur ad illud ad quòd ipse teneatur.

Item principaliter quæro: An in re permutatâ 19 cum aliâ & non venditâ habeat locum retractus? Et absque dubio teneo quòd non: quia permutatio apertè differt à venditione nomine & effectu; cum permutatio sit contractus, qui re contrahitur, emptio autem & venditio solo consensu, ut in leg. 1. & per tot. ff. de Rerum permut. & in leg. 1. & per tot. Cod. eod. tit. & in leg. 1. & per tot. Cod. de Contrah. empt. (r) Item etiam, quia prædicta jura nostra expressè dicunt & disponunt, quòd eodem pretio oblato possit proximior consanguineus retrahere: ergo apertè debet intelligi in re vendita, non verò ex permutatione vel alio contractu tradita vel alienata; quia ubicunque fit commemoratio pretii, appellatione alienationis tantum venit venditio: textus est notabilis & expressus in leg. *Si ex pretio, Cod. Si cert. per. text. in leg. fin. Cod. de prædiis minorum*: Ergò cum jura nostra disponant, quòd, pretio oblato, proximior consanguineus possit retrahere, apertè debent intelligi in contractu emptionis & venditionis: & in terminis idem expressè disponit lex 6. tit. 7. lib. 5. Ord. & nostra lex 70. cum sequentibus Tauri.

Item quæro: An hujusmodi retractus habeat 20 locum in re data in solutum? Et videtur quòd non; quia verè & proprie non est venditio: & ita tenet Speculator in tit. de Empt. & vendit. §. *Nunc videndum*, versic. *Sed pone. Plat. in leg. Si quis, Cod. de Fundis patrim. lib. 11. in dist. leg. Fovi.* Sed contrarium teneo pro veritate, imò, quòd habeat locum retractus: quia datio in solutum habet vim emptionis & venditionis: Item etiam, quia faciliter possunt partes derogare prædicta jura nostra, & impedire retractum sola mutatione nominis: & in terminis ita probat textus in leg. *Si prædium, Cod. de Evict.* ibi: *Nam hujusmodi contractus vicem venditionis obtinet.* & ibi expressè notat Faber, & alii DD. probat etiam textus, in leg. *elegantè, ff. de Pignor. action.* text. in leg. *Si in solutum, Cod. de Action. & obligation.*

Item quæro: Si res patrimonii vel generis ven- 21 datur sub conditione, an consanguineus proximior teneatur retrahere infra novem dies computandos à tempore contractus & traditionis, an verò à die existentis conditionis? Et breviter teneo quòd debeant computari & currere à tempore existentis conditionis: argumento textus in leg.

*Bovem, §. Si sub conditione, ff. de Aditio edicto. text. in leg. 1. §. Annum, ff. Quando actio de peculio sit annalis.* Confirmatur etiam ex sententia Bartol. & communiter in leg. *Si cui legetur, ff. de Legat. 1. in fin.* ubi tenet, quòd si res vendatur sub conditione, & habita fide de pretio ut solvatur infra certum tempus, illud tempus, incipit currere postquam conditio fuit verificata, & adhuc postquam res fuit tradita: quod ipse reputat valdè notabile.

Item quæro, an prædictum tempus novem dierum per nostras ll. regias concessum detur & currat omnibus consanguineis in quocumque & diverso gradu existentibus, an quilibet utatur & gaudeat eodem termino? Et breviter dico, quòd prædictum tempus novem dierum tantum & simpliciter datur & competit simul omnibus consanguineis; taliter quòd, proximior non retrahente, alter sequens admittitur in eodem tempore, & sic intra eosdem novem dies, & postea nullus admittitur: ista est intentio prædictorum jurium, & hoc expressè determinat leg. 73. his ll. Tauri. & ista est ejus sola decisio. Circa quod tamen datur notabile & singulare remedium: scilicet quòd secundus, tertius, vel ulterior consanguineus possit petere à proximiori consanguineo ut declaret voluntatem suam, an velit retrahere vel non? & illo repudiante & nolente retrahere, poterit secundus vel ulterior retrahere: vel si fortè nolit voluntatem suam declarare, vel ab eo non petatur vel requiratur, poterit secundus vel ulterior infra prædictum tempus novem dierum retrahere, dicendo & protestando quòd si primus vel anterior nolit retrahere, ipse retrahit, & deponit pecuniam, vel pretium, pro qua prædicta res fuit vendita; argumento text. qui in suo casu est singularis, & unicus in leg. fin. versic. *Eo addito Cod. Qui admitt.* ubi habetur, quòd licet eo casu quos sunt plures consanguinei in diversis gradibus, possit secundus vel ulterior agnoscere bonorum possessionem, quilibet suo ordine postquam primus repudiavit, & ab illo tempore currat sibi tempus agnitionis, ut in leg. 1. §. *Si intra, & §. Quibus, & §. Sed videndum, ff. de Success. edict.* tamen, si velit ante declarare voluntatem & non esse in suspensio, potest secundus, vel ulterior & remotior consanguineus agnoscere prædictam bonorum possessionem infra tempus primo concessum; & primo vel proximiori postea non adeunte vel cognoscente, valet agnitio & declaratio per secundum vel remotiorem facta: cujus pulchra verba sunt, *eo addito, ut si inter alienam vicem, id est, prioris gradus properantius exseratur suam vim quasi suis sitam curriculum*, & ibi notant & commendat

communiter DD. Ergo à fortiori in nostro casu, quo unum & idem tempus datur & competit omnibus consanguineis, poterit quilibet eorum infra eosdem novem dies retrahere. Et in terminis in materia nostra, & simili statuto, vel consuetudine ita expressè tenet Paul. de Castro in leg. *Manifestissimi*, §. *Sed querebatur, Cod. de Furtis, 2. column. num. 6.* & ante eum ibi Petr. 5. column. Cin. penult. col. Albert. penult. column. Jacob. de S. Georg. num. 5.

Item quæro, si res patrimonii vel generis ven- 22 datur habitâ fide de pretio certo tempore solvendo, an etiam isto casu habeat locum retractus? Et breviter dico quòd sic, & tempus novem dierum currat à tempore contractus & traditionis, sicut si res esset vendita purè & simpliciter; sed talis retrahens non tenetur statim solvere pretium, sed tantum illo tempore quo emptor tenebatur solvere virtute contractus & conventionis; sed benè tenetur infra eosdem novem dies præstare fidejussores idoneos ad arbitrium judicis de pretio solvendo tempore convento & apposito inter venditorem & emptorem: iste est casus & propria decisio textus in leg. 72. infra his ll. Tauri.

Item quæro, si quis pignora vel hypotheca 23 cavat rem pro tanto pretio, quòd non sit spes luitionis, an tunc consanguineus possit retrahere? Certè, si simpliciter hypothecavit pro modico pretio, non habet locum retractus: quia contractus pignoris, vel hypothecæ non est idem quòd venditio, nec est alienatio; & sic nomine & effectu longè differt à contractu emptionis & venditionis; ut in leg. 1. & per tot. ff. de Pign. & in leg. 1. & per tot. Cod. eod. tit. tamen si talis res patrimonii vel generis pignoretur vel obligetur pro tanto pretio, quòd æquivaleret valori rei, taliter quòd non sit spes luitionis; tunc proximior consanguineus posset retrahere, argumento textus singularis in suo casu in leg. *Legata, §. fin. ff. de Superstiti legata*: ubi habetur, quòd si quis legat bona sua, non videtur legare rem sibi obligatam vel pignoratam, nisi fuerit pro tanto pretio quòd non sit spes luitionis; & ad hoc notat & commendat Bartol. & communiter DD. Ex quo etiam inferunt, quòd prohibitus alienare sub aliqua poena, incidit in eam si pignora vel hypothecavit pro tanto pretio, quòd non sit spes luitionis; idem etiam probat textus formalis & expressus in leg. *Qui habebat, ff. de Legat. 3.* & ibi notat Bartol. Alberic. & communiter DD.

Item quæro; Si res patrimonii vel generis 24 vendantur, & proximior consanguineus non retraxit ab emptore infra prædictos novem dies, an postea posset? Et dico, quòd deinceps prædic-

(s) Idem probat Tiraquell. de Reactu lignagier. §. 1. gloss. 24. num. 84. qui à num. 79. latè disputat. Matienz. in leg. 7. tit. 11. lib. 5. Recop. gloss. 1. num. 10.